

Q. D. B. V.

PRÆCEDENTIAM
AQVILÆ, PAVONIS
&
LUSCINIÆ,

Tribus Oratiunculis ventilandam

Ad d. 21. Dec. M DC LXXIV.

ILLUSTRIS AUGUSTEI
PATRIBUS, PATRONIS, FAU-
TORIBUS,
COLLEGIS AC CIVIBUS

decenter intimat

M. CHRISTIANUS Weise/
Eloqv. Prof. Publ.

LEUCOPETRÆ,
Excudebat JOHANNES Brühl.



Dennium est, ex quo, in privatis Oratoriæ exercitiis, Senecæ quæstiones naturales perlustravi, hâc intentione, ut, quomodo Natura hæc aspectabilis ad allegoriarum, ænigmatum, emblematum, inscriptionum, unô verbô, ad politioris Oratoriæ copiam

faceret, curiosis Auditorum ingeniis in tempore exhiberetur. Atque ut istius industriæ publicum extaret specimen, nonnullos jubebam procedere, qui IRIDEM triplici modô, physicè, theologicè, politicè, consideratam, publicis Orationibus proponerent. Nunc ubi luxurians hæc Eloquentiæ methodus à vernantibus Juvenum animis vix abhorrere poterat, subnata mihi fuit occasio, physicas istas allegorias paulò prolixius expedire. Quem in finem se offerebat Opus celeberrimum, quod *Ulysses Aldrovandus*, Historiæ naturalis apud Bononienses Professor, sub initium hujus seculi de AVIBUS incepit; *Johannes Cornelius Uterverius*, Autore mortuô, ex ejusdem schedis, De PISCIBUS & QVADRUPEDIBUS continuavit. Sicut enim Liber laudatus & imaginum

num varietate, & historiarum amœnitate, Spectatores æqvè ac Lectores allicere solet: ita mirificum promittebat usum, si excerpta potiora Locis Communibus infererentur, & ex iisdem ad ulteriores inventiones via aperiretur. Et verò non desunt, qui florida hæc dicendi adminicula fatis deprehendunt utilia, sibiq; ad curiosam eruditionem oculos fuisse deflexos libenter confitentur. Unum hoc videbatur restare, ut, quemadmodum privati mei parietes Orationibus hoc instituto conceptis perstreperunt, ita etiam publica Gymnasii Cathedra quasdam veluti decimas sibi vindicaret. Hinc enatus fuit Actus Oratorius, de AVIUM, ac in specie, de AQVILÆ, PAVONIS & LUSCINIÆ Præeminentia: Non quasi lubitum sic nugas agere, quas ipse Aldrovandus in avium doctrina omninò effugere non potuit. e. g. *Num Accipitris excrementa sint alba, an nigra?* lib. 4. p. 150. *An variationes vocis Corvinae saltem sint sexaginta?* lib. 12. p. 343. & quæ occurrunt alia: Sed ut visibilibus his imaginibus, res Morales ac Politicæ, quæ visu percipi ac judicari nequeunt, illustrentur & recommendiores evadant. Et facere hîc non possum, quin arcanum Oratorium, nudò quasi pectore, legentibus proponam. Nonnè, si de FORTITUDINIS, PULCHRITUDINIS & ELOQVENTIÆ prerogativa instituissem Orationes, quicumq; intimationem meam vel in titulo aspiceret; tritam hanc, & vel mille declamationibus discerptam materiam, arbitraretur ingeniis curiosioribus indignam? Quod si verò Virtutum istarum signa hieroglyphica in titulo collocem, quæ tot scribentium manus nondum fuerunt

runt

runt experta, quis est, qui faventius mihi non polliceatur iudicium? Præsertim si ad ipsam accedens auscultationem, non inanem eloquentiam, sed latentem sub picturis Philosophiam deprehendat.

Interim duo sunt, quæ multis displicere, non diffiteor: Allegoricum hoc differendi genus parum abesse à vanitate; & multò rectius loqui, quorum oratio profundas & eruditas sententias, proprio sensu expressas, contineat. Quibus tamen objectionibus ita respondeo. Primò enim tacile est prolapsus ab Allegoriarum luxuria ad Vanitatem: sed quis contemnat saccharum vel aromata, si Coquus unus vel alter in condiendis cibis excedat modum? Inculcanda simul admonitio *Wolfgangi Franzii*, Theologi, qui, cum ad sacras imagines copiosam materiam collegisset, in præfatione hoc monet: *Ne omnes & singula conciones perstreperant hisce Parabolis, sed cum iudicio & selectu, inq̄ tempore adhibeantur.* Nec simus *Φιλόκαλοι* usque ad reprehensionem, quod de nimia supellectilis emacitate dicit *Plinius lib. 3. epist. 7.* Cum ex adverso, qui ex levi abusu ipsam utilitatem exterminant, similes videantur *Lycurgo*, qui aurum aliquibus noxium relegari jubebat è Republica, *Justinus lib. 3. cap. 2.* aut *Carthaginiensibus*, qui, quoniam aliquis Græcæ Lingvæ gnarus prodicionem fuerat molitus, edicebant, ne quis Græcas literas disceret, *ibid. lib. 20. c. 5.*

Alterum quod attinet, non repugno majorem esse gloriam, interno rerum pondere, quàm externis verborum lenociniis vincere. At quia diversus Auditorum captus est, nè Plato quidem aut Socrates placeret omnibus.

omnibus. Notum est Platonis iudicium è *lib. 1. de Leg.* Athenienses esse verborum studiosos, h. e. φιλολόγους & πολυλόγους; Lacedæmonios breviloquos seu βραχυλόγους: Apud Cretenses verò Intelligentiam s. πολύνοιαν magis valere quàm πολυλογία ac multiloquentiam. Inde quæ absurditas instruere Oratorem, ut non saltim Spartano vel Cretensi, sed etiam Auditori Athenis nato placeat? Accedit alia ratio, quam eloquentissimi Mureti verbis lubet proponere: *Licuerit olim adolescentiori captare ac persequi communes Locos, & eorum aliquem quotannis deligere, in quo comendo & poliendo primus hic (ordinariæ Lætionis) consumeretur dies. Tunc fortassis ætatem floridam floridum orationis genus non dedecebat: studioseque omnia conquirentem, quibus aures irritentur, nemo culpabat. Mea nunc oportet mecum unà canescat oratio: & ut corporis tardior motus effectus est, sic & ipsa gravior facta amplius sibi juveniliter exultandum non putet. Non omnibus ætatibus eadem conveniunt: neque quicquid virginem decuerat, matronam decet. Etiam anni tempestatibus sua cuique, cæterum dissimilis pulchritudo est. Videatur omnino Libri 2. Orat. VIII. ubi eruditissime ostendit, in juvenum animis, quasi vernò tempore viventibus, ferta & corollas debere tolerari, donec, maturescente annò, fruges etiam & poma proveniant. Sanè qui in adolescentia virilem affectant gloriam, tunc adolescentes se remansisse deprehendunt, ubi viri prudentiam ætas requirit.*

Atque ob has ipsas rationes permoveri me non patior, quin Juvenibus ea recommendem, quæ cum excitationis eorum affectibus, & proclivi ad externum splendorem vitæ conveniunt: Sic nimirum studia in mediis laboribus pariunt voluptatem, & pronos alioquin ad desidiam

desidiam animos ad spontaneam provocant indu-
striam. Juventus præ virili ætate Vanitati immergi-
tur; non igitur impium aut ineptum esse potest, hoc
ipso Vanitatis studio uti ad res meliori cum fructu exco-
lendas. Credant se vanis & quasi ludicris imaginibus
demulceri; dummodo nobis in eventu constet de ipso-
rum progressibus. Unô verbô: Leves agant nugas, si
exinde manuducantur ad seria.

Quod igitur DEUS in hoc anni exitu prosperum &
proficuum esse jubeat, sistemus ad diem crastini exer-
citiium ejusmodi allegoricum, ubi

Dn. HENRICUS Stier/ Gubenâ- Lufa-
tus extollet A Q V I L A M,

Dn. JOHANNES DAVID Krüger/ Wet-
tinâ-Saxo, præferet P A V O N E M,

Dn. CHRISTOPHORUS Schmidt/ Steti-
no- Pomeranus recommendabit
L U S C I N I A M.

Afferent, quicquid in clypeis, in vexillis, in Symbo-
lis Personarum illustrium ita exsplendet, ut præsentem
materiam illustrare videatur: Imprimis de præcipua
cujuslibet virtute aut virtutis imagine solliciti, osten-
dent, ex Phisica nos non solum manuduci ad res Theo-
logicas

logicas, quæ DEUM concernunt; sed etiam ad res mo-
rales, quæ vitam ac virtutem spectant.

Unicum hoc reliquum est, ut faventius Audito-
rium, Juvenibus in studio tam proficuo occupatis, suâ
præsentia stimulos addat. Proinde quâ par est obser-
vantia ac benevolentia, rogo, velint, qui succrescenti-
bus in re Oratoria animis addicti sunt, breves & vix
per horam duraturas cum negotiis suis pangere indu-
cias, & vicissim omnia expectare, quæ ab officiis no-
stris ac servitiis proficisci possunt. Faxit saltem omni-
potens Pater, ut ultimus hic anni præcipitantis labor, &
fructum inveniat optatum, & sequenti anno similem
sæpè fertilitatem post se trahat: possitq; adeo Gloriosiss.
AUGUSTUS Noster meritò amare *SUUM AUGU-
STEUM*. P. P. d. 20. Dec. M DC LXXIV.

